

uersorum Nobilium et incolarum preattacti Regni Sclauonie possessiones habentium nominibus, et in personis, parte ex altera, coram nobis constituti, sponte dixerint et exstiterint confessi in hunc modum: Quod licet super facto et modo solucionis decimarum vini inter decimatores prefati domini Osualdi Episcopi ex vna, et prescriptam vniuersitatem Nobilium seu regnicolarum, eorumque officiales parte de altera, fere singulis annis frequentes et assidue difference et discrepaciones oriebantur et suscitabantur, quod parti utrique satis tedio exstitit. Tamen ipse partes saluti pari commodo et quieti consulere cupientes, vt et diuino et humano iuri satisfaceret, nullaque proin dispendium pateretur in hac parte, super modo et facto solucionis decimarum vini prescriptarum, sic et taliter concordassent et inter se ordinassent; imo concordarunt et ordinarunt nostri in conspectu, vt tam vbertatis, quam sterilitatis tempore, vita iam fato domino Osualdo Episcopo duntaxat comite, singulis annis in quolibet decimacionis cutelo decimatores ipsius domini Episcopi pro quolibet decimo cubulo, pro et de singulis duabus pintis vini semper vnum solidum vel denarium, quorum denariorum centum vnum florenum auri pro tempore facient et valebunt, a populis et Jobagionibus dictorum Nobilium exigere et recipere debeant. In quo prefati domini Nicolaus de Dombo, Ladislaus de Gereben, alter Ladislaus de Zenche, et Petrus Bochkay, alique predicti se ipsos, nec non prescriptos vniuersos Nobiles Regni, fide eorum Christiana mediante persistere velle, et id ipsum firmiter tenere et obseruare assumpserunt. E conuerso autem prenominate dominus Osualdus Episcopus ad petitionem preattactorum Regni Nobilium eisdem id annuit, quamuis ipsi de bonis et possessionibus eorum annis singulis vsque festum beati Martini Episcopi et Confessoris decimas bladi et vini et omnium aliarum rerum decimari solitarum iuxta Jura et Priuilegia ipsius domini Episcopi et Ecclesie sue integraliter persolvere tenerentur, vt a die dicacionis ipsarum decimarum vsque festum Purificacionis Beate Marie Virginis, in vita prelibati domini Episcopi, ipsa solutio decimarum bladi, et vini, et aliarum rerum successiue integraliter fieri et perfici debeat, quodque ipse dominus Episcopus et decimatores sui vsque vigesimum diem festi Natiuitatis Domini dictis Regnicolis, vel eorum alteri, ratione non solutionis ipsarum decimarum ecclesiasticum interdictum imponere non valeant neque possint, sed eodem vigesimo die elapso quoslibet soluere recusantes huiusmodi ecclesiastico possint et valeant interdicto innodare, quod quidem interdictum semper vsque festum Purificacionis predictum ac vel mediate vsque plenariam huiusmodi decimarum exactionem et persolucionem debeat perdurare, nichilominusque eciam transacto dicto Purificacionis festo interdicto ecclesiastico prenotato non obstante, Bani Regni Sclauonie predicti aut eorum Vicebani et Comites Crisiensis ac Zagrabiensis pro tempore constituti, singulos rebelles et soluere recusantes in trium marcarum birsagio ad solucionem earundem decimarum compellere et astringere valeant atque possint. Ad que omnia premissa firmiter obseruanda partes predictae sese, nec non prenominati domini Nicolaus de Dombo, Ladislaus de Gereben, et alter Ladislaus de Zenche et Petrus Bochkay cum eorum complicibus prenarratis, predictos vniuersos Regni Nobiles vltronea obligarunt voluntate coram nobis. In cuius rei testimonium presentes litteras nostras sigillis Vicebanorum et Comitum nostrorum Crisiensium consignatas sepefato domino Osualdo Episcopo duximus concedendas, quas dum nobis in specie reportate fuerint, sub sigillo nostro Banali, et authentico confici et emanari fa-